



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

83. An Regulares approbati in una Diœcesi, si in itinere commodo non se possint præsentare Ordinariis, possint confessiones audire, non repugnantibus tamen Parochis; Et Regulares co[n]fessarii prævio ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

tum, rursus examinari à successore pro suæ conscientie quiete ( vt loquitur Pius V. ) nihilominus existimo cum Henriquez *supr. de penit. litter. S.* tantum intelligendam esse in particulari casu erga istum, aut illum causa cognita, & probata; quia in genere & vniuersaliter non licet dubitare de idoneitate Regularium ex vno, aut alio minus idoneo: nec sanè æquum: sed satis exorbitans est, omnes alios bene meritos velle molestare, aut vexare. Inuigilet, si velit Ordinarius, aut inspiciat an aliquis sit minus idoneus, vel publicè si velit, per edictum aut per Notarium in visitatione, aut extra per viam Inquisitionis generalis inquirat an aliquis querelam habeat de sufficientia alicuius Confessarij, admitatque rumores, & denuntiationes, si de aliquo fortè sint in ea materia, & tunc causa cognita, & probata rursus examinet, & approbet vel reprobet iuxta ea, quæ inuenierit in tali examine.

12. Ita habetur in noua declaratione, seu decreto Congregationis Romæ 20. die Nouëbris ann. 1615. in qua Eminentiissimi Domini Cardinales enarratis scandalis, quæ ex opposito modo procedendi sequuntur, statuant ac decernunt Ordinariis, ad quos ius approbandi spectat, Confessarios alias ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere post hac minimè licere; nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum Interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper, eosdem Ordinarios Confessiones audiendi facultatem, omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessariis eadem Sacra Congregatione inconsculta, nullo pacto adimere posse: Quod quidem decretum, vt iidem Eminentiissimi Patres opportunum & necessarium duxerunt, ita inuolubiler iubent obseruari. De quo decreto non potest dubitari, cum authentica de illo habeatur relatio in scriptis non solum Romæ; sed apud multas Religiosas familias, vt vel inde appareat, quam immeritò post aliquot annos suborta fuerit contentio vnius, aut alterius Ordinarij cum Religionibus incognita causa reuocantis generali quadam reuocatione approbationes iam semel ritè habitas.

13. Expendendum verò est, in eo Decreto & declaratione non distingui inter approbantem Ordinarium, & successorem; est enim eadem ratio, & neuter potest aliquid erga Regulares in hac materia, nisi cognita causa; sed quia regulariter Successor, qui non existimauit, nec approbavit Regularem iam approbatum, si ex vno capite ignoret sufficientiam illius, & ex alio oborta fuerit aliqua considerabilis suspicio, poterit causa cognita & probata circa sufficientiam ad suæ conscientie quietem, illum iterum examinare. Hucusque Dicastillus.

14. Et hanc sententiam præter Vasquez, Villalobos, & alios, tenet etiam nouissimè Leander de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 11. quæst. 91. vbi me citat pro affirmatiua sententia, sed licet illam ego olim docturim, & ab ipsa nunc neque recedam, tamen optarem Sacram Congregationem ad tollendas controuersias inter Ordinarios, & Religiosos, stantibus adductis à Dicastillo, vbi supra, hanc difficultatem declarare.

15. Nota hæc obiter, Dicastillum ex Vasquez docere vbi supra n. 31. & dub. 10. num. 298. non posse Episcopos non admittere Regulares ad confessiones audiendas, ex eo tantum quod non sint necessarij tot Confessarij in sua Diocesi, nam si digni sunt, debent approbari, vt possint à volentibus eligi.

Sup. hoc magis late & clarè supra in Ref. 71. s. Sed quid & seqq.

## RESOL. LXXXII.

*In quadam ciuitate, mortuo Episcopo, Vicarius electus à Capitulo reuocauit licentias audiendi confessiones, quas habuerant Regulares, volens illos non examinari subiacere, quæserunt à me, an licite hoc fecerit: Ex p. 8. tr. 7. & Milc. Ref. 94.*

§. 1. **E**T respondi negatiuè cum Francisco Doro in consil. Regul. resol. 36. q. 4. n. 24. quia, ait ille, ista reuocatio conceditur futuro Episcopo, in cuius locum non succedit Capitulum, sed in locum præmortui; ergo neque in reuocatione. Tum, quia id conceditur pro tranquillitate, & quiete conscientie futuri Episcopi, quod signum est hanc concessionem iterum examinandi Confessarios Regulares non respicere Sedem vt sic, sed personam de factò sedentem; in Sede autem Episcopali non potest sedere Capitulum, cum non habeat dignitatem Episcopalem, præterquam quòd non esset Capitulum Sedis vacantis. Tum, quia iterum examinare est quid odiosum, & pertinens ad potestatem delegatam à Sede Apostolica respectu Regularium, vt notum est, cum Regulares sint exempti ab Episcopo, & multo magis à Capitulo, sed hoc non succedit Episcopo in iis, quæ illi competunt iure delegato, vt ex Feder. de Senis consil. 30. Abbate, in cap. cum olim, de maior. & aliis allegatis docet Quar. ord. initio additionis, & ratio est, quia iam non agerent vices Episcopi mortui, sed Papæ delegantis, vt dicit Gemin. in cap. vnic. de maior. in 6. ergo non potest eos iterum examinare. Non est igitur audiendus Marchinus de bello diuino, part. 5. cap. 4. num. 15. Vide Lugum de Sacrament. Penitent. disp. 2.1. sect. 3. §. 1. n. 62. Et idèd nostram sententiam præter Bordonum tenet in terminis noster P. Debellis in doctissima allegatione Hispano idiomate conscripta part. 1. assumpt. 2. n. 1. & 2. vbi clarè probat Vicarium Sede vacante non habere potestatem suspendendi Regulares à munere confessiones audiendi.

## RESOL. LXXXIII.

*An Regulares approbati in vna Diocesi, si in itinere commodè non se possint presentare Ordinariis, possint confessiones audire, non repugnantibus tamen Parochis?*  
*Et an Regulares Confessarij prævio examine approbati ad audiendas confessiones in Vrbe Romæ, an egeant approbatione extra Urbem, ab alijs Ordinarijs?*  
*Et notatur, quod stante Constitutione Urbani VIII. possunt hodie Regulares, si in aliena Diocesi inueniant subditum Diocesis, in qua fuerunt approbati, eam audire, & absoluerè, quod etiam potest quilibet Sacerdos sacularis. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 123.*

§. 1. **E**X priuilegijs Eugenij IV. & Gregor. XIII. concessis Ordini Minorum, & Societati Iesu, vt patet apud Peregrinum in compend. privileg. part. 1. tit. absolutio quoad seculares, §. 5. apud Mirandam in manuali Prælat. tom. 1. quæst. 45. art. 8. & alios, Confessarij Concilij Tridentini, quando non possunt commodè se presentare Episcopis, quia sunt in itinere, vel alibi, possunt fidelium confessiones audire in illis locis, aut oppidis, vbi Ordinarij non existunt, non repugnantibus tamen Parochis.  
 2. Sed his priuilegijs, an sit derogatum per constitutionem Urbani VIII. editam die 17. Septemb. 1628. quæ

que incipit, *Cum sicut accepimus*, secundam opinionem Alphonsi de Leone *tract. de offic. & potest. confess. tom. 2. collect. so. num. 56.* non est certum, quia resti, ait ille, per dictam constitutionem reuocantur omnia indulta vt ex eius titulo apparet, audiendi secularium confessiones, absque Ordinarij, &c. tamen vt etiam in corpore illius constitutionis constat, ibi est sermo de facultate generali audiendi confessiones secularium absque approbatione, vel examine Ordinariorum. Sed in casu nostro indultum est speciale, quando Regulares sunt in itinere, & commodè non possunt se presentare Ordinarijs. Tamen, quia in dicta constitutione interdicitur esse illis interpretatio, & reuocantur indulta ex quouis causa concessa, etiam de necessitate exprimentida, vt tutius procedatur in futurum in re tam magni momenti, esset petenda declaratio. Hæc omnia Leone; qui etiam obseruat, quod si dictum priuilegium non est reuocatum, possunt Regulares eo vti, quando reperiuntur in aliquo loco distanti ab eo, vbi residet Ordinarius etiam ibi manerent recreationis causa, quia secluso omni dolo, & fraude, si non possent se presentare Ordinario, militaret ratio priuilegij. Ergo, &c.

3. Notandum est hic obiter primò, quod stante dicta constitutione Urbani VIII. cessat hodie priuilegium, de quo Molfesius in *summ. tom. 1. tract. 7. cap. 16. num. 2. 5.* Campanili in *diuersis canon. rub. 1. 2. cap. 1. num. 7.* & alij, concessum Congregationi Oratorij S. Marie de Vallicella, & per communicationem alijs Religionibus, nempe Regulares Confessarios prauo examine approbatos ad audiendas confessiones in vrbe Romæ, non egero approbatione extra Urbem ab alijs Ordinarijs, sed sufficere tantum coram illis se presentare, & ostendere licentiam Romæ habitam, non, inquam, hoc priuilegium amplius valet, nam Urbanus VIII. in dicta constitutione annullat, & reuocat omnia priuilegia concessa quibusuis Religionibus, Societatibus, &c. audiendi secularium confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione. Et ita docet Leone *vbi suprà, num. 86.* qui *num. 45.* ponit per extensum dictam Urbani constitutionem.

4. Nota secundò cum eodem Leone *num. 82.* quod etiam stante dicta constitutione Regulares hodie si in aliena diocesi inuenirent subditum diocesis, in qua fuerint approbati, possent eum audire, & absoluerè, quod etiam potest quilibet Confessarius secularis. Ratio est, quia hoc non est priuilegium particulare Regularibus concessum, sed dispositio iuris communis generalis quoad omnes Confessarios. Ergo constitutio Urbani VIII. non militat, quia loquitur tantum de priuilegijs. Vide Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 34. num. 4.* Peregrinum in *compend. priuileg. part. 1. tit. absolutio, §. 8. in scholio.* Tamburinum *de iure Abbatum, tom. 2. disp. 6. quest. 14. num. 4.* Rodriguez in *qq. Regul. tom. 1. quest. 60. art. 5.* & alios.

RESOL. LXXXIV.

An Religiosus approbatus in vna Diocesi censetur vbiq; approbatus?  
Et inferatur in iure Parochi esse, Sacerdotem de cuius ad confessiones approbatione per Ordinarium certum habet argumentum, aduocare in partem sue cure, eique ones suas absoluedas committere posse. Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 59.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet nouissimè Ludouicus Cellotius Societatis I E S V

Lib. 5. de Hierarchia, cap. 25. vbi sic ait. Q. aro: Qui ab Episcopo vno approbatus est Religiosus, possitne vbiq; saculares audire penitentes? Satisfacit Clementis VIII. beneficium, qui concessit, quod Confessores Ordinis Minorum, semel presentati alicui Episcopo pro confessionibus audiendis, vt mos est, post vnam presentationem non teneatur amplius presentari, etiam si ad aliam transierint Diocesim. Quod priuilegium late sic interpretatur Corduba, vt non tantum de eadem intelligat Diocesi, sed etiam de quacumque alia, ad quam se transfulerit ad morandam ad tempus, vel in perpetuum: sed iam censetur semper, & vbiq; debite presentatus. Ratio est, quia Papæ concedentis intentio conformis est impetrantis intentioni, si abest dolo malus. At verò ea fuit impetrantis intentio, quam dixi, vt vbiq; procederet. Iam enim antea concedente Eugenio IV. semel in vna Diocesi presentatus, ad eam postliminio rediens, liber erat ab iterata representatione. Imò etiam Eugenius idem concesserat Confessarijs Fratrum Minorum, quod quando non possent commodè se presentare Episcopis, quia sunt in itinere, vel alibi, & non possunt petere calus Episcopales, eo casu possint vti plenarie auctoritate Episcopi. Addit Emmanuel Sa accepisse se à viro graui, esse illed priuilegium Ordinis Prædicatorum, vt semel approbatus ex ipsis Confessor, vbiq; possit audire Confessiones: idem tradit Rodericus, Episcopum non posse compellere Fratres Prædicatorum, ac Minores ad examen, vbi fuerint semel approbati ab Episcopo: an verò eodem favore gaudere possint Mendicantes alij, est dubium. Id quidem negat Rodriguez, sed verosimilius est posse per communicationem omnium gratiarum, qualem Societati nostræ concessit Pius V. & Gregorius XIII. & confirmauit Paulus V. Verum Gregorij præter ceteros notanda sunt verba distinctè & enucleatè omnia recensentis.

2. Sic enim orditur à causa. Et quia ipsa Societas inter omnia Religionum instituta, ex peculiari & solemnino voto, specialem curam habet, causa salutis proximorum per totum orbem discurrendi, eius salutari ministerio, & vniuersi Christi gregis saluti consulentes, omnibus & singulis ipsius Societatis prædicatoribus, ac Confessarijs ab aliquo Ordinario semel approbatis, & à suis Superioribus ad huiusmodi munera deputatis, vt quandocumque siue mari, siue terra iter fecerint, populos, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Ecclesiarum, prædicatione verbi Dei instruere, & consolari, & quorumcumque Christi fidelium, præsertim agrorum & eorum qui in vinculis detinentur, confessiones eisq; pro commissis salutares penitencias iniungere: dummodo id non faciant in ipsis oppidis, aut locis, in quibus Ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta, liberè & licitè valeant, eadem auctoritate etiam perpetuò, de speciali gratia concedimus, Ita Magnus Pontifex. In quibus non pauca sunt, quæ diligenter obserues. Priuilegium istud concedi tanquam medium ad finem necessarium: non nostra, sed proximorum causa tribui: vnam approbationem sufficere: illam vbiq; habere energiam: petendam aliquo casu licentiam, non approbationem: opus esse tunc illa obrenta, non solum postulata: seruandam cum Curatis concordiam: & vtramque ad Conciones tantum esse necessariam, iis qui ita habent, vel sunt in loco, vbi nullum Societatis domicilium fixit. Nam de Confessionibus ita Paulus egit Tertius, vt Societatis Patribus potestatem fecerit, Sacramenta ministrandi, suis nimirum in templis, Rectorum Parochialium, aut aliorum quorumvis licentià desuper minimè requisita. Hucusque Cellotius. Et hanc sententiam

doctrinam, præcedentis Ref. & late in ro. 1. tr. 3. ex doctrina Ref. 74 §. ult. & ex Ref. 34. §. Probatur, & Vide doctrinam Resolutionum nor. seq. & videbis notam doctrinam & obiectiorem pro hac quaest.